

Conradus Pellicii, Wernerus de Wida, Thomas de Novo foro, Johannes de Wrsin, Vlricus Baurus cives in Lipzk recognoscimus et ad universorum notitiam tenore praesentium cupimus pervenire, quod Johannes filius Hertwici bonae memoriae quondam molendinarii ante civitatem Lipzk iuxta sanctum Jacobum super causis et inpetitionibus universis, quas habuit aut habere se asseruit in praepositum et ecclesiam sancti Thomae apostoli in Lipzk, cum eodem praeposito amicabiliter et integraliter concordavit sic, quod praedictus Johannes filius Hertwici omni actioni inpetitioni seu infestationi, quam movebat vel habebat in ecclesiam saepe dictam, abrenunciavit voluntarie et publice nunquam amplius iterandae, super quo praepositus eidem Johanni filio Hertwici dedit octo marcas integre persolutas, hac etiam addita conditione, quod ipsemet aut uxor eius vel mater ipsius aut soror eius et filii ac filiae eorundem vel cognati et amici eorum nominati et innominati generaliter universi nunquam inpetant aliquo tempore nec molestent praesenti tempore seu futuro ecclesiam saepe dictam, quod ipse Johannes pro eis promisit publice bona fide praesentibus et contestantibus magistro Johanne notario illustris principis Th. Iantgravii iunioris, magistro Conrado physico domini H. Mersburgensis episcopi, Symone sculteto, Joh. de Lubenize, Symone Ecstete, Conrado de Nova civitate, Tilmanno cellerario, Conrado Pellicii, Wernero de Wida, Thoma de Novo foro, Johanne de Wrsin, Vlrico Bauro, Tlicone Karas et filio eius Tlicone, Hartmanno coloratore, Johanne de Merica, Johanne Wrman, Johanne de Grimmis, Heinrico de Greten, Heinrico Bruninne, Walthero de Tuel, Hermanno de Wrsin, Tilmanno Parisiense, Conrado de Hallis, Willehelmo de Grimmis, Heinmanno Tanz et aliis civibus in Lipzk quam pluribus fide dignis. In cuius rei testimonium praesens scriptum desuper confectum dedimus sigilli civitatis Lipzk munimine roboratum. Datum Lipzk anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto pridie Kalendas Julii.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit dem beschädigten Stadtsiegel an einem Pergamentstreifen.

No. 41. 1294. 30. Juni.

*Otto von Ilburg stellt dem Kloster ein Zeugnis aus über die Sühne mit Johann dem Sohne des Müllers Hertwig (vgl. No. 40).*

Nos Otto de Ylburg recognoscimus et ad universorum notitiam tam posterorum quam modernorum tenore praesentium cupimus pervenire, quod Joh. filius Hertwici beatae memoriae quondam molendinarii ante civitatem Lipzk iuxta sanctum Jacobum super singulis causis et inpetitionibus, quae inter praepositum et ecclesiam sancti Thomae apostoli in Lipzk vertebantur, cum eodem praeposito et conventu ecclesiae praedictae amicabiliter concordavit integraliter hoc processu, quod ipse praepositus praenominato Johanni filio Hertwici dedit octo marcas argenti iam integre persolutas videlicet sub hac forma, quod saepedictus Johannes, uxor eius et mater ipsius, soror eius, filii et filiae eorundem et ipsorum cognati vel amici generaliter universi praesentis temporis et futuri, nominatis et innominatis huic concordiae inclu-